



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput IV. Pietas tamen, & justa necessitas, servilia opera festis diebus
aliquando permittunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

- 23 Divina ultionis (de qua loquitur ibi sanctus Pontifex) exempla profert Concilium Parisiense VI. anni 829. can. 50. Postquam enim mercatus, placita, & ruralia quæque opera, necnon quaslibet carigationes seu veteras diebus Dominicis fieri prohibuit, addit: *Multi nostrorum visu, multi etiam quorundam relatu didicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos, quosdam artuum contractione multatos, quosdam etiam visibili igne corporibus ossibusque simul sub momento absumptos, in cinerem subito resolutos, penatiter occubuisse. Et multa alia terribilia judicia extiterunt, & hæc hactenus existunt, quibus declaratur, quod Deus in tanti diei debonoratione offendatur.*

CAPUT IV.

Pietas tamen, & iusta necessitas, servilia opera festis diebus aliquando permittunt.

- 24 **C**onstat 1^o. ex Evangelio, in quo Christus excusat discipulos, sabbatho spicas vellentes, Matth. 12.
2^o. ex Concilio Narbonensi anni 589. can. 4. die Dominico operas fieri vetante, excepto, si necessitas incubuerit. Necnon ex Concilio Coyacensi in Hispania (anni 1050.) can. 6. *Christiani Dominicâ servile opus non exercent, nec fecerunt uinera, nisi orationis causâ, aut sepeliendo mortuos, aut pro Regis secreto, pro Saracenorum impetu.*
- 25 3^o. ex cap. conquestus de feriis, ubi iudicialis strepitus diebus festis prohibetur, nisi necessitas urgeat, vel pietas susceat. Cùmque Nicolaus V. anno 1447. à Transilvanis interrogatus fuisset, an pauperibus villanis, ac opipidaniis licitum sit vendere, die Dominico, vel festo alicujus Sancti, panes, pyra, poma & alia legumina, vel sit licitum eis, finita Missâ, post prandium, de campo, tempore messis, cùm timeatur de pluvia, portare cum pecoribus, vel equis, vel curribus, linum, fanum, & alia blada, humano usui convenientia? Respondit: cessante necessitate, ab omni opere servili abstinendum esse diebus Dominicis & festis; sed necessitate cogente, non tamen affectuâ, seu procuratâ, licitum esse præmissa exercere.
- 26 4^o. ex S. Antonino p. II. tit. 9. c. 7. §. 5. ubi posteaquam dixit, quod diebus festis videre ratiocinia, & facere computum prolixum, illicitum est. Quodque ad opus servile spectat, cum equis, asinis, vel bobus deferre blada, vel vina, vel ligna, vel mercimonia, nisi necessitas urgeat. Item, abstinendum ab itinere dietario, nisi necessitas cogat, vel aliud pium opus inducat, &c. Post hæc (inquam) varia recenset opera, quæ diebus festis à mortali necessitas excusat.
- 27 *Primo (inquit) pro conservando personas vel res suas, puta, faciendo foveas, vel machinas, vel hujusmodi; vel portando res suas ad loca securo imminente bello; vel portando necessaria ad defensionem, &c.*
Item, si jacentibus segetibus in agro, vel

femis in pratis, vel visis in vineis, imminere tempestas, vel aliud periculum amissionis illarum rerum, liceret talia colligere. Item, de alia re que destruitur, si in die festo circa eam manualiter non operatur, ut extenso lana ad radios solis, cum hieme apparent, vel profectio succensionis fornacis, ad calcem aut lateres coquendos, aut vitrea vasa conflanda. Item, carnifices, sive lanis, & pincerna preparantes victualia in festis, ut sequenti die vendant, si non poterant prius preparari, vel preparata conservari, videntur excusari à mortali. Item, vectores mercium, aut alimentorum, aut personarum ad loca remota, cum alias non possent sine gravi incommodo vitam transigere, creduntur excusari, si differre non possunt.

Item, qui compelluntur à dominis iusto motu ad laborandum in diebus festis in agris suis, vel deferendum ligna vel lapides, vel faciendum adificia vel foveas, & hujusmodi, que si non facerent, notabiliter damnificarentur in persona, vel rebus, videntur posse excusari propter necessitatem. Melius tamen facerent non obdare, quando opus illud non est necessarium. Et quia modicus recessus à medio non tollit bonum virtutis: ideo quod aliquis in horto, aliquid faciat parvum, ut obturando sepem, vel evellendo malas herbas, vel sueno aliqua puncta vestis diffusa, vel caliga, & hujusmodi, non judicatur violator festi.

Barbitiones, non in radendo, sed in minuendo sanguinem, & ferratores, & hujusmodi, si in Festis exercent artem suam principaliter propter necessitatem eorum quibus serviunt, non propter cupiditatem lucri, excusantur. Et similiter qui eos requirunt de arte sua, si aliis non poterant sibi commodè providere, excusantur.

Item, in molendinis ad aquam, vel ad ventum, que sine magna opera hominis exercentur, potest servari consuetudo patriæ non prohibita à Prelatis. Secus de molendinis cum jumentis: & hoc nisi necessitas urget propter victualia necessaria: quia tunc liceret.

Item, diebus festis, non tamen Dominicis vel solemnioribus, licitum videtur laborare pro pauperibus; cum his tamen conditionibus adjunctis: Primo, ut non dimittantur divina, id est, auditio Missæ. Secundo, quod fiat elemosinaliter, non propter lucrum. Tertio, quod illi, pro quibus laboratur, indigeant.

Item, à fortiori videtur licitum cuilibet laborare pro sustentatione sui & familiae suae, quando aliter sustentari non valet: ita tamen quod non dimittantur divina. Nec enim observatio festi est in tanta auctoritate, ut in veteri Testamento. Et erit bona cautela ut hoc fiat cum dispensatione Episcopi. Hæc S. Antoninus.

CAPUT V.

Explicantur requisita ad sanctificationem sabbathi, seu diei Dominici, vel festivi.

Error esset putare, quod sabbathi sanctificatione nihil aliud à Christianis exigeret, ni-